

Universitätsbibliothek Mannheim

Rvdimentorum cosmographicorum Ioan. Honteri ... libri III

Honterus, Johannes

Antverpiae, 1560

urn:nbn:de:bsz:180-digad-1692





52/15

H 220 B 5

R V D I M E N T O

rum Cosmographicorum Ioan. Hon-
teri Coroneñ. Libri. III. cum
tabellis Geographicis
elegantiss.

*De variarum rerum nomenclaturis,
per classes, Liber. 1.*



ANTVERPIÆ.

Apud Ioannem Richardum.

Cum Priuilegio.

RVDIMENTORVM COSMOGRAPH.

LIB. PRIMVS.



Ocelorum partes, stellas cum flatibus,
urbes,
Regnaque cum populis, sparsas & in
aquoze terras,
Montesque & fluuios, iunctisque ani-
malia plantis:

Officia, ac sectas varias, operumque labores,
Morborumque simul species & nomina dicam.

Mundus in æthereum, qui desuper imminet orbi,
Inque elementorum duplicatur corpora primum.
Æthereus duplices sphaerarum continet orbes,
Fixaque cum septem stellis errantibus astra.
Maiores cycli, qui mundum partibus æquis
Distribuunt, ut signifer æquatorque feruntur:
Quemque dies medius designat, & imus horizon,
Lacteus, ac duo qui ducuntur ab axe Coluri.

Zodiacus primum bissexis vndique signis
Conspicuis, tropicum attingens obliquusvtrunque
A summo cancrum, capricornum cernit ab imo.
At qui signiferum rectus secat, inque priori
Lanigeri libræque gradu lucem æquat & umbras,
Æquator, media in mundi regione locatur.
Qui paribus spatijs occasum cernit & ortum
Circulus, & gemino concurrit semper in axe:
Discernitque diem, variatque me sembrinus orbem.
Hinc medium sphaeræ superum distinguit ab imo
Alter, & is cœli primum terræque supremum
Coniungens, fertur (quia visum fuit) horizon.

Lacteus

LIBER PRIMVS.

Lacteus hinc sequitur candore notabilis ipso,
Qui solus cœlo spectatur nocte sereno,
Transuersusq; diu geminum prætermeat axem.
Mox bini subeunt, qui quattuor ante relatos,
Seq; secant, gemino coeunt cardine mundi,
Tempora qui signant anni, cœlumq; per astra,
Quattuor in partes diuisum mensibus æquis.

Hinc alios numerant prædictis orbe minores,
Qui per inæquales diducunt sidera partes.
Circulus ad boream complectitur Arcton, & intus
Sidera concludit liquidum fugentia pontum,
Alter ad æstiu defixus sidera Cancri,
Solstitio longum cogit decedere Solem.
Tertius hunc vltra Brumalis nomine dictus,
Quo noctem tropico Sol porrigit in capricorno.
Vnus ab his superest extremo proximus axi,
Quem terris pressum notius describit horizon.
Hisque parallelis zonis tibi quinque profundum
Diuiditur cœlum, totidemque plagæ orbe premuntur
Quarum quæ media est, vix est habitabilis æstu:
Nix tegit alta duas, totidem inter vtranque locatæ
Temperiem retinent mista cum frigore flamma:
Hanc nos incolimus, contraque antichthones illam.
Nec dubium antipodes multis consistere terræ
Partibus, ad centrum directis vndique plantis.
Puncta duo cœlum in paruos vbi voluitur orbes,
Constituere polos, geminoque à cardine mundi
Per centrum terræ tenuis deducitur axis.

Signifer hinc bissex obliquat sidera, quorum
Sex videt ad boream, sex æquidialis ad austrum.

A 2

Terdenis

LIBER

Ter denis gradibus signum distinguitur vnum,
 Bis tricena gradus memoratur habere minuta.
 Atqui signorum varia est natura genusq;,
 Mascula sunt, aries, gemini, leo, libra, sagitta,
 Fusor aquæ, iunctumq; simul sortita calorem.
 At sibi fœmineam consciscunt frigida sortem,
 Bos, cancer, virgo, capricornus, scorpio, pisces.
 Frigida sunt nocti, sed mascula sacra diei.
 Ipsa quoque his anni variantur tempora signis,
 Nanque aries, taurus, gemini, sunt sidera Veris:
 Æstatem cancer, leo trux cum virgine complent,
 Scorpius autumnum, & duplici cum lance sagittæ:
 Inde hyemem pisces capricornus, aquarius addunt.

Restat adhuc eadem ternis proportio signis:
 Ignea triplicitas aries, feruens leo, Chiron:
 Terrea sed taurus, virgo & capricornus habentur:
 Aëream sortem chelæ, vrniger, atque gemelli:
 Scorpius appopiat, piscesq; & cancer aquosam.
 Deniq; cum vegetet communis corpora virtus,
 Singula membra tamen quoduis sibi vendicat astrū:
 Quippe aries capiti, taurus cervicibus hæret,
 Brachia sub geminis censentur, pectora cancro.
 Sorte regit scapulas leo, ventrem atq; ilia virgo,
 Libra tenet lumbos, & scorpius inguine regnat,
 Arcitenens femori, genibus capricornus amatur.
 Cruraq; fusora aquæ reficit, vestigia pisces.

Et quoniam varia currentes ordine stellæ,
 Corporis aequales spacio, similesq; colore,
 Haud internosci poterant, solertia sparsas
 Struxit in effigiem & variarum membra ferarum,

Impo-

PRIMVS.

Imposuitq; simul iunctis cognomina stellis.
 Ad Boream geminas ingens Draco diuidit Arctos.
 Hinc subit Arctophylax pariterq; Corona, Lyraq;
 Proximus Engonasis: post huc ophiuchus & Anguis.
 Mox Aquila & Telum surgunt, & lactea Cygni
 Sidera, Pegasus hinc sequitur Delphina, simulq;
 Andromede, Cepheusq; & Cassiopea parentes,
 Armatusq; gener Perseus: circum ora Medusæ
 Horrida, Delcoton simul Heniochusq; feruntur,
 Hinc aries, taurus, gemini, cancer, leo, virgo,
 Libraq;, scorpius, arcitenens, caper, hydria, pisces.
 Cetus & Eridanus post hæc vertuntur ad austrum,
 Orionq; premens Leporem. Procyonq; refulgens,
 Inde Canis maior stellataq; cernitur Argo,
 Perq; trium loca signorum se porrigit Hydra,
 Craterem dorso gestans, Coruumq; loquacem.
 Hic Fera Centauro resupina tenetur, at vltra
 Thuribulum, notix piscis fugit astra Coronæ.
 Sunt etiam propriæ dictorum sidera partes:
 Peliades in dorso tauri sex esse feruntur,
 Fronte sedent Hyades, fundendis imbris aptæ.
 Inde Propus pedibus geminorum præuia, sed quæ
 In cancro nubem referunt, Præsepe vocantur,
 Moxq; duo circum Præsepe feruntur Aselli.
 Regia stella niter generosi in corde leonis,
 Virginis in summa gestatur Spica sinistra,
 Sed Protrygeta subit prope dextram virginis alam,
 Quattuor in dextra quæ conspiciuntur aquari,
 Vnam: at quæ pisces connectunt, Vincula dicunt.
 Nodus inest Vincolo: pedibus subiecta Bootæ

LIBER

Arcturi stella insequitur Plaustrumque bouesque,
 Postremas Helices stellas: humeroque sinistro
 Heniochi residet sidus pluuiale Capellæ,
 Inque manu laua geminus discernitur Hædus.
 Ast Argo in summa micat inclyta stella Canopi.
 Sirius inde Canis fixus maioris in ore.

Hinc tibi per medium septem decliue feruntur,
 Saturnus, Sol, Luna, Venus, Mars, Iupiter, Hermes,
 Fixa quidem toto circumuoluuntur olympo
 Sidera, sed proprios retinent errantia motus:
 Semper enim currunt fixis contraria stellis,
 Atq; domos habitant bisseña per astra, suasque
 Exercent illic proprio quisque ordine vires.
 Luna tenet cancrum, geminos cum virginis astro
 Mercurius, tauro & chelis Venus ipsa quiescit.
 Feruidus inde Leo Soli, sed scorpius ardens
 Atque aries Marti cedunt: hinc piscis vterque
 Centaurusq; Iouem, Saturnum fusor aquarum
 Rectorem agnoscit, simul ægocerotis & astrum.

At planetarum in rapidis distantia signis,
 Dicitur aspectus, quo se impediuntque iuuantque.
 Cum duo planetae alterutris distare videntur
 Sextam signiferi partem, vel per duo signa,
 Aspectus fertur sexangulus: at tria quartam
 Zodiaci partem cum stant per signa planetae,
 Conspicitur quies quadrangula: tertia sed pars
 Signiferi, reddit per quatuor astra trigonum.
 Denique per mediam contraria sidera partem
 Eminus aspectum soliti firmare planetae:
 Ac certis spacijs concurrere rursus eodem

In-

PRIMVS.

In signo, quoties superi obscurantur ab imis.
Sunt etiam aduersa gemini se parte secantes
Orbes, quos faciunt Solis Lunæque meatus:
Sectio qua Phœbe gelidas ascendit ad arctos,
Hæc eadem caput est: sed & altera cauda draconis,
Quà Luna imbriferum cursu descendit ad austrum.

Accipe quo spacio perlustrent signa planeta:
Saturnus cursum duodena per astra rotatum
Motu retrogrado terdenis conficit annis.
Bissenisque Iouis bisseña perambulat astra
Sidus: at ipse duos graditur Mars amplius annos.
Sol in se sua per vestigia colligit annum.
signa Venus, dubiusq; anno minus amplius Hermes
sed bis quindenis percurrit Luna diebus.
Hinc ortum triplicem nobis posuere priores,
Quo stellæ ascendunt, obituque sub æquora pergunt.
Cosmicus exorto stellas cum sole reducit,
Cum simul aduersa tingunt se Tethyos vndis.
Occiduo Chronicus surgentes cernit horizon
sole & in opposita stellas regione cadentes.
Quin vbi Phœbus equis summo procul axe recessit,
Incipiunt stellæ sensim apparere minores.
Mox cum sol propior flammis opera omnia lustrat,
Astra polo fugiunt, quorum simul agmina cogit
Lucifer, & cæli statione nouissimus exit.
Vt stellæ in longum primò distare videntur
Arietis à puncto, sic has ecliptica monstrat
Linea signiferi in latum celsisse. Per axem
Et fortunatas quæ transit linea terras,
Inde quidem trahitur distantia longa locorum.

LIBER

Sed spatium latum est, quod æquatore recedit.

Atq; poli gradibus responderet vbiq; leuati.

Declinat sidus, cùm distat ab æquidiali.

Eleuat, ex imo quod in altum mittit horizon.

Messembrinorum quiuis semisse recepto,

Quindenique gradus, respondent protinus horæ

Vnius spacio: sex & triginta feruntur:

Quisque gradus denos retinet: quantoq; recedit

Longius à medio, noctes æquante diesq;

Orbe, magis coiens geminum decrescit ad axem,

Æstiuosque dies numerosis explicat horis.

At gradus in longum, sub cyclo scilicet æquo,

In latum, stadijs responderet vbiq; locorum

Quingentis, quorū spacia hæc tibi carmine signant,

(Quattuor ex granis digitus formabitur vnus.

Est quater in palmo digitus, quater in pede palmus:

Quinq; pedes passum faciunt, passus quoq; centum

Quinque & viceni stadium dant: sed miliare

Octo dabunt stadia, & duplatum dat tibi leucam.)

Milleque bis decies passus nunc iura diurnum

Constituere viæ spacium: miliaria fortè

Quattuor, exiguo ve minus nostratia reddunt.

Inferior mundus, tellure & aqua, aëre & igne,

Dicitur ex primis rerum consistere causis:

Ex quibus assiduis vicibus modo cuncta creantur,

In quæ iterum, quicquid natum est, nat ura resoluit,

Aëris ætherco vis est stabilita sub igne,

Quæ sibi dissimilis triplici regione notatur,

Sūma calet, media est gelidissima, proxima vtrūque

Æstatem ac frigus diuerso tempore sentit.

Quippe

P R I M V S.

Quippe vapor duplex ascendit in aëre, primus
 Crassus & humidior propria gravitate tenetur:
 Aridus atque calens sine pondere prosilit alter.
 Ex humente quidem concrefcere sæpe feruntur
 Hyberneque niues, matutinæque pruina,
 Largior & crassis descendens nubibus imber,
 Roresque nebulaeque, & mista grandine nimbi.
 E sicco alterna generantur sorte vapore,
 Fulgura cum tonitru, rapidi cum fulmine venti.

Nomina ventorum posthac patriamque docebo:
 Quattuor oppositis veniunt è partibus orbis,
 Quos circum varij dextra læuaque feruntur,
 Impelluntque leues aduersis flatibus auras.
 Frigidus à summo descendit A parctias axe,
 Circius ad zephyrum, Boreas hunc cingit ad ortum.
 Auster ab aduerso pluuias inducit olympo,
 Ab Lybe qui dictum, dictum quoq; spectat ab Euro.
 Insuper & verno flat Subsolanus ab ortu,
 Solstitium huic sociat retrahentem nubila ventum,
 Brumalesq; tropæ violentum flatibus Eurum.
 Occidua Zephyrus de cardine spirat, at ipsum
 Africus hyberno contingit sole cadente,
 Ac simul Argestes æstiuo solstitiali.

Tempus & ad solidam propius descendere terrā,
 Quæ centro in medio penitus firmata quiescit.
 At circum roseis sol vectus vbique quadrigis,
 Ex ortu lucem, discessu procreat umbram.
 Eclipsimque facit, si quando corpora lunæ
 Obiectu terræ radijs intacta relinquit.
 Oppositis leuem pingit sub nubibus Irim.

A 5

Nec

LIBER

Nec dum etiam solitas diuersis mensibus anni
Continuare vices, variasque nouare locorum
perpetuo cessat motus discrimine formas.

Longa parallelis est subdita terra duobus,
Vnde dies mediam ab reliqua distinguitur horam:
Clima que in oppositis memoratur partibus orbis.
Atque hinc per Meroen, per Niloticamque Syenen,
Et per Alexandri, Rhodij quoque Apollinis vrbes.
Perque Hellepontum atque Borysthenis ostia currunt
Riphæasque arces, quibus additur vltima Thule.
Inde per antichesin contraria climata longas
Imparibus spacijs variant noctesque diesque.
Quinetiam tellus varia ratione vocatur,
Insula, Continuum simul & peninsula, & Isthmus.
Æquor eos itidem fluctus, quibus additus orbis.
Oceanum appellant, pelagusque sinumque; fretumque.

Finis Libri. I.

RVDIMENTORVM

COSMOGRAPH.

LIBER SECVNDVS.



Vnc quoque terrarum triplices per-
currere partes,
Europæ, pariterque Asiæ, Libyæque ca-
lentis (na regnis,
Aggrediar, priscis miscens noua nomi-
Nanque velut rerum cursus sub sole per orbem
Incertis vicibus nunc huc, nunc flu tuat illuc,
Nec retinere valet stabilem per secula sortem:
sic olim indigenis bello, fame, peste fugatis,
Nomi-

SECUNDVS.

Nomina sæpe nouis sunt commutata colonis.
Finibus Europæ clauduntur Iberica regna,
Quæ prima Oceanum spectant, Solemq; cadentem.
Hinc sursum versus borealia littora Galli,
Germanique tenent, & gentes Sauromatarum,
Quæ Scythiam partim contingunt Solis ab ortu:
At Scythiam Thraces opibus belloq; superbi,
Et Macedum quondam clarissima regna sequuntur.
Græcia dehinc notum longè procurrat ad axem,
Cui Peloponnesus bimari coniungitur Isthmo.
Hinc procul Ionios exceptans margine fluctus
Adrias, Illyricis Italos seiuungit ab aruis.
Europæ medium Dacorum regna tenent: mox
Pannoniæ tellus vicinis iuncta Polonis,
Vndique terrificis premitur nimis obuia bellis.

Principioque triplex Hispania continet vrbes,
Bætica quas posuit, quæ nunc Granata vocatur:
Quasque Tagus spectat per Lusitanica regna,
Quæ modo Castiliæ mutato nomine tellus,
Gallicæ simul & Portugallensis habetur.
Et quas præcipiti cursu pertransit Iberus,
Qui per Nauarram Tarraconensia rura
Obliquus fugiens pelagi coniungitur vndis.
Corduba principio præpollet, & Ispalis vrbes,
Priscæque Tartessus, Paxiulia, Compostella,
Hinc & Vlyssippo, simul & Salmantica, moxque
Illipulæ magnæ & geminæ Carthaginis arces.
Tollerum, infelixque olim Numantia, Burgis,
Mæniæque Emeritæ, & Gallis vicina Gerunda:
Tum Põpeiopolisque Augusta que cæsaris, atque
Tarra-

LIBER

Tarraco, quæ nomen citimo dedit inclyta regno.
 His iungas veterem cum Barchinone Saguntum,
 Dertosamque, urbemque valentis nomine dictam,
 Ac plures alias, vbi non obscura feruntur
 Flumina, & hesperio recludunt ostia ponto,
 Bætis, Anas, Doricæque simul Minijque fluentia,
 Et Tagus auriferis passim fecundus arenis,
 Hic Sacrum, Nerium, promontoriumque Trileuce
 Oceano incumbunt: pelago Scombraria, Calpe,
 Quæ sociam spectat trans æquora stricta columnam.

Gallica Pyrene sublimi vertice regna
 Hispanis terris discernit Solis ab ortu,
 Quatuor in partes diuisa: Aquitania prima est,
 Celtica quam sequitur: sed Belgica Narbonensem
 Desuper arctois submoram spectat ab oris.
 Has nunc alternis vicibus tenuere minores,
 Gasconij Turonensesque nouique Britannij,
 Normandi, Franci, Burbonenses & Anerni,
 Picardi, Flandrique, Hanones, dicesque, Brabantij,
 Campanique, & quos Burgundia prisca Sabaudis,
 Ac Delphinatus pariterque Prouincia iungunt.
 Verum Aquitanorum celebres memorabimus vrbes:
 Primaque Burdegala est, post hanc Genebumque; tene-
 Et Turonensis tellus, & Auaricon, Andes. (tur:
 Luteciam inde colunt, & Lugdunensia Celta
 Mœnia, sed cessit Rotomagus in ordine Belgis,
 Et Gandauorum populi, ciuesque Louani.
 Tullion hinc Lotharingorum atque Metensia rura
 Intermixta manent Germanis vndique terris.
 Cis Rhodanum Auenion iacet, Allobrogumque Vienna.

M.

S E C V N D V S.

Mox Arelas Geneuæque lacus, Visontion atque
 Massilia externis quondam constructa colonis.
 Vltior Narbo, Mons pessulus, atque Tolosa.
 Sequana post Mosam, Ligeris, fluuiusque Garumna,
 Oceani repetunt diuersa per ostia fluctus,
 In medium pelagus concordi fluminis alueo.
 Ipse Araris, Rhodanusque, Isara, atque Druentia currunt.

Germanas etiam terras prope flumina Rheni,
 Atque alias alio iungam sub sole iacentes.
 Occiduas partes gens martia Germanorum
 Heluetij, simul & Vasti colit incola regni:
 Moxque Sicambrorum populi, cultique Batavi.
 Cimbrica cum Frisijs septem subiecta trioni
 Chersonesus habet Pomeranos proxima saltus.
 Slesia sed roseos solis consurgit ad ortus.
 Inde Morauorum transgressus rura, videbis
 Austriacos colles & campos vitibus aptos.
 At Styriae scopuli, rarisque Carinthia campis
 Australes, tangunt Athesina cacumina: moxque
 Heluetiae summis æquandæ nubibus alpes,
 Quattuor in partes aliò currentia fundunt
 Flumina, Danubium, Rhenum, Rhodanumque, Padumque.

Interiora tenent diuersis Teutones arua
 Nominibus, iuxta Hercyniam cultissima syluam
 Rhætia Vindelicos Virtenbergensibus agris
 Diuidit: Alsaciam post hos Franconia iungit
 Hessorum populis: quin & Turingia Misnæ
 Saxonas ac Marchos sociat, sed Norica tangit
 Oppida, continuis munita Boëmia syluis.

Trans

LIBER

Trans Rhenum celebris Constantia prima tenetur,
 Mox Basilea simulque Argentinentia rura.
 Treueris inde vetus Maguntinensibus aruis
 Iungit Aquisgranum, Agrippinensesque colonos:
 Geldria, Traiectum, pariterque Antuerpia magno
 Vicinæ Oceano, cis Rhenum plurima passim
 Oppida respiciunt Frysiorum ac Vestfala rura.
 Lipsia Brunsvigam gelidas hinc spectat ad arctos,
 Casiliam ad zephyrum, disiunctos rursus ad amnes
 Hinc atque hinc geminam Francfurti dispicit urbem.
 Ast Erdfordensi succedit proxima tractu
 Herbipolis, simul & vicinior Ulma Tubingæ.
 Norica metropolis post has, & Praga sequuntur,
 Breslaque Lubecumque ac Vittemberga: sed ultra
 Danubium, tepidoque habitata propinquius austro,
 Græcia, Villacumque, Oenique cacumina pontis.
 Hisque Salisburgam socies, pulchramque Viennam,
 Cumque Ratispona Monachû: dehinc Vindelicorum
 Augustam placet, & Patauinas addere ripas.
 His quoque largiflui fontes miscentur & amnes:
 Ad Boream currunt Amasus, Visurgis & Albis,
 Rhenus, & hinc Odera, ac popularis utrique Sueuus.
 Danubius reliquos secum deducit ad ortum.
 At nunc Sarmaticos campos Scythiamque niualem
 Cis Tanaim fluuium & mæotidis ampla paludis
 Æquora, sub stellis geminæ lustrabimus Vrsæ.
 Hanc terram primum veteres coluere Agathyrsi.
 Et cum Thyssagetis Nomades, rigidique Georgi,
 Quin & Hamaxobij plaustris sine sede vagantes,
 Basternaque, Getaque, sagittiferique Geloni.

Insu-

S E C V N D V S.

Insuper Euxino propior gens Taurica ponto,
 Taurica supra alias quondam seuissima gentes:
 Sed cultus terræ postremis mitior annis (quam
 Contigit. Hesperiam partem, zephyrisque propin-
 Nunc propria duplices retinent ditione Poloni,
 Et quæ Sarmatico coniuncta est P russia ponto.
 At Massouitas simul & Samogitia rura,
 Ad Boream accliui sequitur Litaonia tractu.
 Nec procul Hippophagis affinis Russia Moschis,
 Iunctaque Lithuanos tangit P odolia saltus.
 Est etiam extremo quædam sub cardine tellus,
 Ac Noriuegorum glaciali proxima ponto
 Littora, & indomitis contermina Suetia Gottis,
 Scanorumque rigens arctoo frigore tractus.
 Sed tamen & cælo propiora fruuntur iniquo
 Oppida Riphæis nimis infestata pruinis.
 Atque ideo raræ indigenis cultoribus vrbes,
 Quas inter celebris Posnania prima Plocenses
 Dantiscosque pari discernit limite campos.
 Inde Toronensi Mons regius additur vrbi,
 Moxque propinqua Rigæ Mariæburgensibus agris.
 Littora, Sarmatici; caput Cracouia regni:
 Quin & Lublinæ sociata Premissia terra,
 Vilna quoque, & propior Leoburga tepentibus au-
 Istula præterea, liquidi; Borysthenis vnda. (flris.
 Pluraque per Scythicas currunt sine nomine terras
 Flumina, stagnantesque; augent remorata paludes.
 Sed iam tempus erit propiores visere partes.
 Pannoniam Illyriamque; simul, Thracenque; cruenti
 Mauortis patriam, nimium nimiumque propinquos
Dalmatiz

LIBER

Dalmatiæ fines, vestaramque vndique Bosnam.
 Myforum inde solum, Dacorumque oppida: quæ nunc
 Moldauique tenet, transalpinique Valachi.
 Et quæ Carpathio septem circumdedit arces
 Vertice, Bulgaricis modo Transyluania terris
 Haud multum disclusa. Sed enumerabimus vrbes:
 Regia Budensis prima est, mox Agria, postquam
 Cremnicæ montes, Posonenſiaque arua sequuntur
 Et cum Strigonicis Cassouia prisca colonis.
 His quoque Bellogradû, & regalem iungimus Albam
 Emporiumque; simul Varadini atque alta Cibini
 Mœnia, præcipiti que sitam sub monte Coronam,
 Quam primam Europæ Christi documeta sequentem,
 Sol oriens radijs lustrat propioribus urbem.
 Mox Adrianopolis Sophiæ vicinior aruis,
 Nicopolis que triplex iacet, & Selymbria, Varna:
 Inde Liburnorum Scardona, simulque Ragusi,
 Quæque tenet Ponti Byzantia littora fauces. (thûque
 Quid memorê Anchialonque, Heracleamque, Perin-
 Abderamque Maroneamque & Olynthon & Ænon,
 Callipolimque, & quæ sociant freta Seston Abydo,
 Atque alias, quarum iam nil nisi nomina restant?
 Imò etiam patrijs nunc vix hæremus in oris.
 Non tamen antiqui defunt regionibus amnes.
 Danubius secum defert Oenumque Lycumque,
 Germanos fluuios, sed aquæ septemplex Iſtri
 Nomine mutato decliuibus vndique ripis
 Præcipitem Drauum & Sauum, placidumque Tibiscû,
 Et patrium simul in Pontum comitantur Alutham
 Strymonis Ægæo, Nelsique Hebrique fluenta
Miscentur

SECUNDVS.

Miscentur pelago. Montas quoq; partibus illis,
 Ismarus & Rhodope, coniunctusq; Orbelus Hamo,
 Et qui Dalmaticis latè discernit ab oris
 Rascenses populos sinuoso vertice Scardus.

Vltior Macedū tellus, quondam inclyta regna,
 Continet Albanos, mox Pæonas atq; Pelasgos,
 Æmathiæ campos quoque, Mygdoniæq; recessus.
 Has prope Thessalicis Magnesiâ iungitur agris.
 Doris item spectat Locrensiâ rura, sed vltrâ
 Proximat Aonijs Phocensis & Attica tellus.
 Trans Isthmum Ætoli simul & vicinus Acarnan,
 Epirusq; iacet, varijs distincta colonis.
 Atq; hæc prisco quidem, nunc Turcia tota vocatur,
 Helladis ac vix dum vestigia parua supersunt.
 Quin igitur veteres potius celebrabimus vrbes:
 Primaq; Dyrrachium est, vrbisq; ab Apolline dictæ
 Mœnia, Pieriæq; domus gratissima Musis.
 Hinc Hypatæ Phthiæq; & Larissæ sequuntur
 Oppida, mox & Opus, & Pella insignis alumnis,
 Et quæ prima fidem nostrum diffudit in orbem,
 Amphipolisq; simul, necnon Berræa Philippiq;,
 Et Thebæ Baccho celebres, & Apolline Delphi.
 Aulidis hinc portus, Megara & cerealis Eleusis,
 Tum proprium diuæ cognomen & vrbis Athenæ.
 His quoq; Naupactū, Anticyram & Calydonia rura,
 Leucadaq; Ambraciâq; simul, glandisq; feracem
 Dodanam & celsam Buthroti iungimus urbem.
 Per Macedum fines pelagi petit Axius vndas: (nis
 Nec procul & Chabrius rapidiq; Haliacmonis am-

B P. 133

LIBER

Peneusque fluens medius per Thessala Tempe:
 Sperchij Ismenique vadum, Cephissus, & acer
 Illissus, cerebrasque vrgens Achelous arenas.
 Quin etiam varij celebrantur in Hellade montes:
 Pelius, Othrys, Athos, & fato nobilis Oeta
 Herculis, & biyugo Parnassi vertice colles:
 Virgineusque Helicon, natusque ad sacra Cithæron,
 Ossaque cum Pindo, maiorque ambobus Olympus.
 Hinc spectant Adriæ prærupta Ceraunia fluctus,
 Sunion Ægæum. Sed vastas carmine terras
 Helladis emensi, bimarem transibimus Isthmum.
 Ac simul Argolicas & Achæidas atque Laconum
 Et Peloponnesi reliquas per littora gentes,
 Urbibus ex proprijs dictas lustremus, & intus
 Arcadas antiquos: quibus adijcientur & vrbes,
 Argosque Sparteque, Agamemnoniæque Mycenæ.
 Mox Epidaurus adest, & nobilis ære Corinthus,
 Olenus & Sicyon, Patræque humilesque Cleonæ.
 Gythion ac Trœzen, Messene, notaque Lerne.
 Inde Methona, Pylus. Pisarum atque Elidis vrbes,
 Mantineæ, Tegeæ, Megalipoleosque coloni.
 Inachus Argolicos campos, Asopus Achiuos,
 Eurotas cultus Lacedæmonis irrigat agros:
 Nec procul Alpheus lapsus subtermare, qui post.
 Ore Arethusa tuo Siculis confunditur undis.
 Arcadiam illustres incingunt vndique montes,
 Menala, Taygetus, Pholoë ac Stymphalides vmbre,
 Etcum Cylleno gelidi pineta Lycei.
 In mare Spiræum tendit, Maleæque furentis
 Æstus, & Acritas ac Tænarus ostia Ditis.

Hespe-

SECUNDVS.

Hesperios procul hinc tractus, atque Itala regna
 Incingit mare quod suprà, quodquæ alluit infrà:
 Sed mediam duplices secat Appenninus vtrinque
 Ausoniam in partes, Adriam litusque sinistram
 Cum Carnis Venetique colunt, Gallique togati,
 Umbri Picentesque viri, prisci que Sabini,
 Pelignosque; sequens Frentanus & Appulus agros,
 Hic Salentini Calabrique per oppida campi,
 Magnaque in Ausonijs habitatur Græcia terris.
 Brucia Lucanos Tyrrheno litore primos,
 De Campanorum lætos circum æquora colles,
 Volscorumque domos spectat, veteresque Latinos,
 Hinc Ligurum populos, Hetruscorumque penates,
 Insubriumque agros, spaciosasque insuper vrbes:
 Quæque tenent Veneti munita palatia ciues,
 Et Mutinæ Patavique arces, ditisque Rauenne.
 Histrorum inde iacent Tergeste, Aquileia tractu:
 Ultrà Ancona mari spectata, bononia campis,
 Mox & Ariminon & Ferrara, Nursia, Sulmo,
 Sipuntum atque Amiterna domus, Venusinaque; rura,
 Brundusium, Hydruntumque; propinquaque; tecta Croto
 Inde Tarentinæ Metapontum iungimus vrbi, (nis.
 Rhegion ac Locros, biferique rosaria pæsti,
 Sirenum scopulos, promontoriumque Mineræ,
 Surrëtum, Capuan atq; altum Præneste, Salernum,
 Parthenopesque arcem, & Cumæa templa sibyllæ,
 Nuceriæ & Nolæ Beneuentanosque colonos,
 Antiphataque domum, & Circeæ littora terræ.
 Mox Caieta iacet, sinuessaque, Tybur: Aquinum,
 Ardeaque, & rerum quondam pulcherrima Roma,

LIBER

Roma caput mundi: Perusinaq; rura sequuntur,
 Et Florentinis immissus mœnibus Arnus.
 Nec Mediulani pulchram rericēbimus arcem,
 Dertonam Ticinūq; simul, Genuamq; superbam,
 Tridentum Pisamq; urbem, veteremq; Cremonam,
 Mantua quam sequitur, Verona, Placentia, Parma,
 Atq; aliæ plures, quas præterlabitur amnis
 Eridanus, post hunc Rubicon præcepsq; Timaus:
 Hinc Tifernus, & Hirbinis è montibus ortus
 Aufidus: ac Tuscum qui deuoluntur in æquor,
 Vulturnusq; celer, Silari Sarnique fluenta,
 Cuique fuit rerum concessa potentia, Tybris.
 Sed quis finis erit, si prosequar omnia verbis
 Oppida, & apricos colles, syluasque, lacusque,
 Fluminaq; & campos sinuososque vndique portus?
 Omnia sunt fama totum vulgata per orbem.

Finis Libri. II.

RVDIMENTORVM COSMOGRAPH.

LIBER TERTIVS.



Actenus Europæ lustratis ordine re-
 gnis,

Et procul hinc ventis immensa per æ-
 quora vecti,

Tandem Asiæ magnæ populos videam-
 mus & vrbes.

Hanc latè triplici contingens littore vastus
 Alluit Oceanis. Zephyris obuersa tenetur
 Inclyta Syrorum tellus, Asiæque minoris

Por-

TERTIVS.

Portio, & antiquo notissima carmine Colchis.
 Tum varix gentes passim deserta Schytarum,
 Mox etiam tenui felices vellere Seres,
 Tartariciq̃ue tenent borealia rura coloni.
 Hinc oriens Schytiam trans celsum spectat Imaum,
 Regnaq̃ue translatum quæ restant Indica Gangem
 Quin etiam interior longè procurret ad austrum
 India, Carmanisq̃ue propinqua Gedrosia terris.
 Persidis inde solum sequitur, Chaldaeaq̃ue regna,
 Totaq̃ue thuriferis Panchaia pinguis arenis.
 Multæ intus gentes celebres, populiq̃ue potentes
 Terrarum varios sparsim tenuère recessus.

Sed nos iam Syriae pennis aduersa fauoni
 Littoraq̃ue, & terram lustremus melle fluentem.
 Prima Palestinae sirbonidis alluit vnda,
 Mox & oliuiferis Iudææ collibus, illinc
 Phœnissas pariter gentes, Apamenaq̃ue rura,
 Verùm hinc palmiferâ prorsus sociabis Idumen.
 At Galilæorum spaciofo limite fines
 Latifluus Iordan scindit Trachonitidis aruis.
 Interiusq̃ue solum bis quinis vrbibus aptum,
 Hinc Cœlen Syriam, hinc Casiotidis aspicit agros
 Insuper & mediam concludunt flumine terram
 Tigris & Euphrates, qui per Babylonica lapsi
 Mœnia, voluuntur sinuosum in Persidis æquor.
 Sunt etiam egregiæ dictis regionibus vrbes,
 Ascalo & Antipatris, pariterq̃ue Azotia rura,
 Et samaritanis habitata sebastia colonis.
 His sacram Solymorum ædem Gazamq̃ue potentem
 Cæsaream duplicem, & priscam iungemus Ioppen,

LIBER

Cum Sidone Tyrum celebrem, & Ptolemaidis urbē,
 Beryton ac Tripolin, Myriandron, Laodiceam,
 Tiberij, atque alias Galilæi littoris arces,
 Et Gadarenorum fines, urbemque scytharum.
 Nec procul Europum claramque videbis Edessam,
 Nisibin, & Latio maculatas sanguine Carras.
 Est quoque diuersis non vna seleucia terris,
 prima tenet littus, medios colit altera campos.
 palmyra deinde subest, Hierapoleosque coloni,
 Antiocheia duplex, quarum accolit altera Taurum,
 Altera per medium labentem cernit Orontem.
 Chrysoroas pulchro præterfluit amne Damascum.
 Iordanisque sacer geminis è fontibus ortus,
 per latus valles & amœnos vndique saltus
 Tandem Asphaltitæ diris immergitur vndis.
 Hoc tractu quondam Deus impietate superbas
 sulfureis flammis sodomorum perdidit vrbes.
 Et Iericunta quidem similis vindicta secuta est:
 Totaque nunc regio priscis viduata colonis,
 Obruata desertis vestigia quærit in agris.

At nunc præcipuos videamus in ordine montes,
 Fæcundum cedris Libanum, celebrataque fama
 Carmeli iuga: mox è quo Deus ipse tremendo
 Fulgure cum tonitru lapsum perterruit orbem.
 Inde duplex Casius geminato vertice surgens,
 Hinc pelusiaca, inde seleuci iungitur vrbi.

Verum agè nunc tandè portas superemus Amani.
 Ac primos Cilicum populos, Asiæque minoris
 Littora, & internos peragremus vbi que recessus:
 pamphyliam & Lycias vrbes, Liciæq; propinquos

Caras,

TERTIVS.

Caras, & Ægæi confines æquoris agros:
 Ionix clarasque domos, Lydosque penates,
 Æolidosque & Myforum quondam incluta rura.
 Hinc Rhetœa iacent Phrygiæ clarissima bello
 Littora principiumque Propontidis Hellepontus:
 Mox Bithynorum fines, quâ strictior alter
 Bosphorus Euxinum pontum concludit: at vltra
 Paphlagonum tellus coniuncta est Leucosyrorum,
 Cappadocû & Chalybum ferri prægnantibus agris.
 Inde Lycaoniæ Pisidarumque arua, simulque
 Mæones & Galatæ medios tenuere recessus.
 Verum ea barbariæ nunc tam confusa premuntur,
 Vt neque sint noti fines, neque mœnia terris:
 Atque ideo veteres vrbes, & prisca locorum
 Nomina & insignem quondam celebrabimus Issum
 Mox intus Cydni diuisam flumine Tharsum,
 Et Crassam soloën pompeii nomine dictam,
 Coryciamque urbem pariter portumque specumque;
 Nec procul Aspendus ripas tenet Eurimedontis.
 Hic etiam Attalicis colitur vicina colonis
 Cynthia Pergensis simul & Patareus Apollo.
 Inde Cragique iugum, nocturnoque igne Chimææ
 Terribilem, & Xantiffauas linquamus arenas:
 Piscosamque Gnidon potius, claramque sepulchro
 Urbem Halicarnassum, & Mausoli nomine regis,
 Ægæique alias memoremus littoris vrbes:
 Ioniceque caput gentis, celebremque virorum
 Mileton patriam, & Mycales sub rupe Prienen,
 Cum Colophone Ephesum Latoidos æde superbâ.
 Hinc sardi coniuncta tenent vineta Timoli,

LIBER

Clazomenæ littus, sinuosos Smyrna recessus.
 Interius Trallis, Philadelphia, Laodicea,
 Pergamus ac Thyatira: sed & clarissima rerum
 Troia sub Idæis radicibus, vnde scamandri
 Et simoentis aquæ voluuntur in Hellespontum.
 Antandrus posthac subit, inque Propontidis oris
 Cyzicus, extremoque iacens Nicomedia Ponto.
 Hanc supra ad boream sunt & Chalcedones agri,
 Atque Heraclei fines, vbi dicitur olim
 Cerberon Alcides ferro durisque catenis
 Ex Acheronte imo superas traxisse sub auras.
 Nicæam Ascanius, sed Prusam illustrat Olympus.
 Inde Cythoriaco cum monte videbis Amastrim,
 Et Teuthranteos fines, notamque Carambin:
 Moxque sinopenses medijs spectantur Amisi
 Partibus, irriguisque assueta Themiscyra campis,
 Hic & Amazonidum prope flumina Thermodoôtis
 Castra fuisse ferunt: extrema in littora Ponti
 Vertice montano Trapestis inclusa recessit.
 Interiore Sebastopolisque & Amasia tractu,
 Ancyra & Iconium, Derbe, cumque urbibus amplis.
 Antiochenorum, vix nota parte coluntur.
 Hic tamen Ægeo curuis illabitur vndis
 Mæander, simul & cantu celebrata Caystri
 Flumina, Pactolo coniungitur aurifer Hermus:
 Vorticibusque altis remorata fluenta Cayci,
 Atque alij subeunt non parui nominis amnes,
 Parthonius posthac, & Haly vicinior Iris,
 Sangariusque petunt Euxini littora ponti.

His tamen omisis pariles videamus ad ortum

Arme-

TERTIVS.

Armenia tractus, praefecturasque potentes,
 Et bariedri altos apices, montesque Ceraunos:
 Ulteriusque auro celebratam & vellere Colchin.
 Ast Albanorum medios includit Iberos
 Planicies, finem Cyro quæ ducit ab amne,
 Et premit Eoas Hircano littore partes.
 Samosata Euphratis ripas, Melitenaque rura,
 Tigranocerta tenet colles, Artaxata campos,
 Caspia quâ præceps ad littora fertur Araxes.
 Inde Dioscorias in finibus Heniochorum,
 Mercibus externis & vocum mille figuris
 Inclyta, latifluas despectat Phasidis undas.
 Nec procul Hermonassa vetus, vinclisque Prometheus
 Caucasus, ac niuib. sylvisque grauatus opacis.
 Eshedones Colchis accedunt, moxque Coraxi,
 Cimeriaque graui pressæ caligine terræ.
 Inde Melanchlenis Maoridos accola Sindon
 Iungit laxamatas Scythici prope fluminis oram.
 Quin & Hyperboreos montes, Scytiaque niualis
 Interiora tenent variæ sine limite gentes.
 Prima Arimasporum gryphis inimica propago,
 Finitimi quoque Amazonicæ telluris Alani:
 Adde & Arimphaeos Iaxartarumque recessus, (q;
 Hippophagos, Anthropophagosq; , Galactophagos.
 Quique intus folijs depectunt vellera Seres.
 Multaque præterea Scythicæ cognomina gentis,
 Quas procul à Tanai boreali parte iacentes,
 Imminus mediam percurrrens Asida terram
 Taurus ad extremum discludere dicitur ortum:
 Taurus, qui dites populus terrasque potentes
Indorum

LIBER

Indorum tepidos latè specularur ad austros.
 Hic iacet emporijs tellus opulenta marinis,
 Fertilis omnigenum rerum, semperque virenti
 Fronde nemus bifera crebros parit arbore fructus,
 Multaque vastarum nutrit portenta ferarum.
 Nulla illic hyemes, sed sol æstate perenni
 Vicinis radijs vernantia temperat arua.
 Atque ideo multæ gentes & maxima regna,
 sinarumque solum & Chryse peninsula: sed quis
 Omnia barbarici tractus longeque remoti
 Nomina, tam tenui valeat percurrere versu?
 Indica eis rapidum spaciofo flumine Gangem
 Terra, palimbotrosque Chelonophagosq; colonos,
 Bracmanesque tenet, mox duros Gymnosophistas,
 Bucephalaque vrbis fines, Nysamque superbam,
 Quam Bacchus quodam primis orientis in oris
 Condidit: at Macedo non inferiora reliquit
 Oppida, transgrediens armis victricibus indum.
 Haud procul oceani per littora flexa Gedrosi,
 Carmani que iacent, & florentissima regna
 perfidis: vltcrius Chaldaeorumque penates,
 Orchoa, persepelisq;, simulq;, Hecatompylos vrbes,
 susarumque arces, Babylonicaque arua coluntur.
 Ast in secessu duplici circumdata tellus
 Equore, Petraeos montes, desertaque passim
 Iugera felicesque Arabum distinguere campos
 Dicitur, hæc Nabataeorum procul intus ad ortus,
 Panchæumque solum, Pygmæorumque phalanges
 Terribiles gruibus spectat, pinguesque sabæos.
 Hæc thuris lacrymas, & odores pascit amomi,
Cinna-

TERTIVS.

Cinnamâque, costumque simul, casiaque saporem,
 Et nardi fruticem, ac stillantem cortice myrram.
 Nunc sarraceni redolentibus vndique campis
 Rura tenent Mechamque superstitione potentem:
 Atque alias celebres dictis in partibus vrbes.
 sed nos Hyrcani repetemus littoris oram,
 Assyrios, Medos, Hyrcanorumque colonos,
 Cyropolinque arcem, Ninique ad Tigridis vndas
 Moenia, & Ecbatanis iunctam Ctesiphonta vetustis,
 Arsaciaque vrbis tractum, longeque remotos
 Bactrorum populos, Paropanisdumque recessus.
 His Arianorum gentes, Parthosque fugaces,
 sacharumque domos, Arachosiaque insuper arua:
 multa, si libeat, Latiae non cognita linguae
 Oppida, iam dictis poteris coniungere terris.

Africa nunc sequitur feruore notabilis ipso,
 Vasta, minusque frequens, tantum foecunda ferarum.
 Interius quâ sol medius nullas iacit umbras.
 Vruntur flammis, siccisque teguntur arenis,
 Deserti tetro serpentum afflamine campi:
 Quodque die solis violento incanduit aestu,
 Humida nox reficit, paribusque refrigerat horis.
 sed notam Libyci peragrans littoris oram,
 solis ab occasu, solis videamus ad ortum,
 Antequam domum Tingin, constructaque Mauris
 Oppida, rum stellas humeris Atlanta ferentem:
 Vnde molucha fluit, maluaque propinquior vnda.
 Hic simul Icosium Gartennaque arua coluntur,
 Pluresque indigenis noti cognominis vrbes.
 At Numidas fines præterfluit Amfaga: post quem
 Hipponis

LIBER

Hipponis geminæ Colopisquæ videbis vtrunque
 Mœnia, Rusicadæquæ solum, sedemquæ Siphacis
 Longius à pelago Cyrtam, & quos Tabraca campos
 Incolit: hinc Uticam & magnæ Carthaginis urbem
 Bragada limitibus nimium discernit iniquis.
 Mox geminæ Leptis tractus, Syrtiquæ propinqua
 Clupea cum Taphris, ubi fundit in æquora Triton
 Collectas fluuio ternisquæ paludibus vndas.
 Hic circum gentes Nasamonum, Punica latè
 Terra patet: mirumquæ nimis quòd inhospita Syrtis
 Littora Lotophagum diris incingit arenis.
 Proximushinc sequitur Cinyps, aræquæ Philenon.
 Mox ad deuexum penitus Carabathmon habebis
 Pentapolis tractum, & clarum Ptolemaidis urbem,
 Hesperiam, Arsinoenquæ simul, mediamquæ Cyrenen,
 Ammonisquæ; domû, & geminâ procul intus Oasim.
 Marmaridæ posthac passim sine mœnibus vllis
 Vilia dispersi subeunt magalia ciues.
 Inde Parætonium Mareoticaquæ arua sequuntur,
 Cum campis Ægypte tuis, qui littora rubri
 Vasta tenent pelagi, longoquæ ex ordine tractu
 Æthiopum terris patrium clauduntur ad austrum.
 Hic perhibent moles per iugera multa iacentes
 Pyramidum celsas superare cacumine nubes.
 Hic Psammethrichi regis labyrinthius error:
 Pluraquæ non minus his extant memoranda, sed vl-
 Urbis Alexandri pariter, veterisquæ Canopi, (tro
 Et Pelusiacæ gentis prope littora fines,
 Ac procul à pelago celebres recitabimus vrbes:
 Antiquæ Memphi iunctam Babylona recentem,
Bubasti

TERTIVS.

Subasti, Taneos, claramque Hyperionis arcem,
Hermopolinque, Cynônq; polin: mox deinde vide-
Intus vbi Nilus Cancri secat astra, Syenen, (bis
Centifores Thebas, cultamque Diospolis aulam,
Et crocodileis exercita Tentyra monstris,
Omnigenumque deum dictis procul oppida terris.

Inde sub Ægypto minus hospita solis ob æstum
Terra iacet campi longè lateque patentis,
Monstrorum domus, & rapidis loca subdita flâmis.
Decolor Æthiopum populus per littora sparsim
Obtinet ardentes vario cognomine tractus.
Troglodytarum cultis hac parte cauernis
Lucifero primi Blemysæ iunguntur ab ortu.
Ast Agisimba procul gelidis discedit ab Arctis,
Atque umbras rerum vicinos iactat in austros.
Hic memorant Nilum Lunæ de montibus ortum.
Per varios riuos vastisque paludibus auctos,
Hinc Elephantinamque urbem, lateque patentem
In medio Meroën concludere: proxima sed post
Ægyptus latis spatiantem flumine campis
In pelagus Pharium septena per ostia fundit.
Interius deserta tenent nudi Garamantes,
Mox Elephatophagiq; Antropophagi que feruntur.
Et Gamphasantes timidi, Satyrique petulci.
At procul Hesperium latè per littora tractum
Atlantesque feri, Getulorumque coloni,
Nigriteque habitant, simul & Phaurusia pubes:
Insuper & plures alibi: sed promptius altis
Nubibus, & nitidis de derim cognomina stellis,
Quàm totidem populos, linguas, faciesque locorum
Regna-

LIBER

Regnaquæ terrarum, cumquæ ipsis oppida campis,
 Apricos montes, & opacas vndique sylvas,
 stagnantesquæ lacus, & crebri vorticis amnes,
 Littoraquæ & gratos possim comprehendere portus.
 Has tamen è multis variarum nomine rerum
 percurri breuiter mixtas regionibus vrbes.
 Quarum pars super est prisco sub nomine pars est,
 Excidij deleta: locisque manètibz ijsdem,
 Per totidem linguas & secula temporis acti
 Nomina diuersis causis mutata feruntur.

Nunc locus Oceani, quæ sunt à Gadibus vsque
 Auroram, & totum quæ circumplectitur orbem
 Nereus, æquoreis ambitas dicere terras
 Fluctibus. extremo terrarum fine coluntur
 Cassiteri venæ celebres grauiore metallo.
 At procul Hyberniz succedunt Anglica regna,
 Littoribus Scotiæ coniuncta: sed Anglia primam
 Londinum, & claras per littora continet vrbes,
 Orchades hinc multæ numerantur, & vltima Thule,
 Atque in secessu propior Zelandia tellus.
 Vltior Scythicus boreali frigore pontus
 Horret in accessus glacie densisque pruinis.
 Multæ autem terræ solis redeuntis ad ortus
 Vndique laudatis habitantur in æquore campis:
 Sed vix nomen habent peregrinis versibus aptum.
 Taprobanequæ orbis medium sortita recessum,
 Lucibus æquatis depressus conspicit axes.
 Hanc circum oceano variarum altrice ferarum,
 Quin & Erythræo plures memorantur in alto.
 Gorgonis hinc sedes, & in hospita tecta Medusæ
 Hesper-

TER TI VS.

Hesperio tractu surgunt: mox arua beata,
 Et fortunata sparsa sine semine terræ.
 Est etiam vltcrius non visa prioribus annis
 Insula, diues opum cultuque immanis agresti,
 Quam lucristudium, rerumque cupido nouarum
 Prima sub extremo conspexit sole cadente.

Illa tamē valeant: iam nunc propiora sequuntur,
 Herculeoque freto positis vtrunque columnis,
 Intromissa fluunt per apertas æquora terras,
 Extantesque vagis campos mirantur in vndis
 In primis Ophiussa mari consurgit Ibero,
 Cumque Ebusitanis Balearica regna colonis,
 Atque aliæ plures passim sine honore iacentes.
 At breuib. spacijs despectat Corsica tellus
 Littora Sardinia: Tyrrhenum deinde per æquor
 Pontia cum Frochyta, Caprea, Planasia: moxque
 Scylla ferox canibus, simul & Zanclea Charybdis,
 Ausonia siculæque tenent confinia terræ,
 Inde Pithecusæ, Lipara & Vulcania: post quas
 strongyle, & innumeræ penitus visuntur in alto
 Insulæ: ante alias sed enim præstantior (olim
 Cyclopum Cererisq; domus) Trinacria montes
 Finibus extremis diuersa per æquora fundit,
 Cūq; Peloriade Lilyben, vastumque pachynum:
 Interius celebrem flammis viuacibus Ætnam,
 Atq; Erycis templum, & claras amplectitur vrbes,
 Messanam, Catinam simul & Megarensia rura,
 Cumque Syracusis Drepanum notamque Panormū
 Tauromenō, Camerinā, Agragāta, Leontiō, Hyblā.
 sunt etiam Adriaco Diomedis nomine dictæ,

Et

LIBER

Et quas Ionium latè circumfluit æquor,
 Rhæacum se des Corcyra, & littus Echinz
 Insula mox Cephale norum, & nemorosa Zacynthus,
 Illustrisq; Ithaca, & Strophades, quas dira Celæno,
 Harpyiæque aliæ quondam tenuisse feruntur.
 Hinc Theganusa iacet, Venerique dicata Cythera,
 Insuper & Salamis, propiorque Ægina, sed intus
 Myrtoum Sporades fluctu circumsonat æquor,
 Nisyron, Olearon, Theram, Melonque rotundam,
 syron & Hippurim, Patmon, viridemq; Dony sam:
 Inde Lebynthon & Icariam, sparsasque per altam
 Cycladas, albentemq; Paron, planamque scriphon,
 Mox Delon Mycone celsa Gyaroq; reuinctam,
 Florentemq; Cythnon, Sicynon, sacramq; Lyæo
 Naxon, & hinc Siphnō, Rhenē, mox Tenō & Andrō
 separat Aonijs procul hinc Euripus ab oris
 Euboicas vrbes, Chalcin niueamque Caryston,
 Ceneique ingum, infidumque Capharea nautis.
 Adde tot Ægæo distinctas æquore terras,
 sciathon & nitidis lætam peparethon oliuis,
 Tum scopelon, scyrum, & Vulcani mœnia Lemnū,
 Threiciamq; samū, Tenedon, mox Chiō & Imbron,
 Et Mitylenæam spacioſo littore Lesbon,
 Iunonisque domum, sed Astypaleia rura,
 Carpathique maris Rhodiorum & Appollinis vrbes,
 Lindon, Ialyſonque simul, veteremque Camiron.
 Illustrant etiam Creten Hecatompolin vrbes,
 Lyctus & hinc Gnoſus, Cydon, Gortyna, Lycastus,
 Atque aliæ, quarum vix nomina nota ſuperſunt:
 Ida Iouis cunæ, & Diæi culmina montis,

His.

TERTIUS.

Hisq; Samonion adiunges, Criuq; metopon.
 Issicus inde sinus Cypri, complectitur vrbes,
 Cum salamine Paphum, grauidamque Amathunta
 metallis.

sed quid nota sequor? multæ sine lege iacentes
 Insulæ oceano in magno, medioq; profundo,
 Partim homini cultæ, partim deserta ferarum
 Pascua, neglectis pelagi clauduntur in oris.
 Quædam iam celebres, olim sine nomine terræ
 Multarum nec honor priscus, neq; nomen habetur,
 Sed liber hoc portu fessas subducere naues.

Finis libri III.

DE VARIARVM RERVM NOMENCLATVRIS,

PER CLASSES.



Ostquâ præcipuis cœli terræq; marisq;
 partib inuecti, verboq; creata potēti,
 Humanæque manus monimenta stu-
 pemus & artem:

Nunc propiora sequi, mundumq; vi-
 dere minorem,

Et quicquid proptertalem Deus ipse creauit,
 Ingeniumque hominis longo quæ repperit vsu,
 Dicere pergemus: superent modò nomina rebus.

Principiò terræ dominum, rerumq; potentem,
 Præstantem specie, fortunatumq; superni
 Numinis aspectu, quanuis damnauerit error
 Impius, & diræ subiecit corpora morti:
 Non tamen ingenuæ penitus vestigia formæ,

C

Nec

VARIAR. RERVM

Nec data cesserunt diuinæ semina mentis:
Quæ solus nouit, solus scrutatur ab alto,
Qui regit affectus varios, animisq; vigorem
Suggestit, & corpus magnis virtutibus implet.
At nobis breuiter, quæ sensibus vndique nostris
Occurrunt notæ referentur carmine partes
Corporis & summo quæ sunt à vertice membra.
Sanguis, adeps, cerebrū & pingui cum carne medulla,
Venarumq; viæ graciles, arteria, nerui,
Ossaq;, membranæ, sudoriferiq; meatus,
Et cum visceribus distinctæ in corpore fibræ.
Moxq; decus capitis, vultus, geminæque lucernæ
Corporis, & custos teneræ palpebra pupillæ.
Occiput atque aures, cilium, caluaria, nasus,
Maxillæ duplices, & frons sacrata pudori.
Temporaque & nares, calamistratiq; capilli,
Elatumque supercilium, promissaque barba.
Mandibulamque regens mentū, labiumque decorū,
Os hominis, rostrumque auium, rictusque ferarum.
Hinc guttur subit, atque imo tonsilla palato,
Et gula dependens à faucibus, inque recuruis
Cinguius dentes, septæ munimina linguae.
A ffinis iugulo ceruix, collumque superbum,
Spinaque vertebris toto firmissima dorso,
Brachia cum scapulis, humerus, manus, vlna, lacert⁹,
Musculus, axillaque caua, cubitique sequentes,
Palmaque cum digitis, index cum pollice, verpus,
sinciput atque vterus, cutis, & cum ventre papilla,
Et ventris medium, atque extremi corporis vngues,
Hinc laterum robur, costæ, præcordia, mammae,
Inte-

NOMENCL. LIB. I.

Inreftinorum ſeries, cordisquē reſſus,
 Splen cum felle, iecur, pulmo ſimul ilia, lumbi,
 Et fons morborum ſtomachus, veſica, renesquē,
 Pectora cum pugnīs, & edax cum clunibus alius,
 Mentulaquē, & femorū partes cum cruribus: inde
 Vulua, nates, inguen, matrix, præputia, teſtes,
 Cum genibus tali, & gemino cum poplite ſura
 Plantaquē cum pedibus, robuſtaquē tibia, coxæ,
 Poſtremiquē ſimul calces, & quicquid in ipſo
 Corpore diuerſum ſuper eſt, propriūquē ferarum:
 Concha, pilus, ſquammæ cum pennīs, vellera, ſetæ,
 Ungula, cumquē toris palearia, pellis & armi,
 Cornua cum criſtis, mox cauda, proboscis & alæ.

Sed dum præcipuos memoramus corporis artus,
 Senſim ad res alias ventum eſt: pariterquē videndæ
 Quadrupedum ſpecies, ſæuarumquē ordo ferarum,
 Iuncta reptilium varijs inſecta figuris,
 Squammigerūquē genus piſces, piſcæquē volucres:
 Et quicquid natum tellus habet, aër & vnda,
 Atque hominis pedibus ſubiectum, plurima paſſim
 Sponte ſua confert ſecuræ commoda vitæ.
 Principioquē duces, aries, & taurus, & hircus,
 Mox equus & mulus, verres, maialis & agnus,
 Inde ſues, veruex, cumquē agris porcus aſellis,
 Lanigeriquē greges ouium, petulansquē capella,
 Bubalus ac barrus, vitulus, bos, vacca, caballus,
 Capreoli, leporesquē leues, & odora canum viſ,
 Armeniæ tigres, iracundiquē leones,
 Cumquē lupus vrfi, lynces, panthera, camelus,
 Simius, iehneumon, erinaceus, hinnulus, hiſtrix,

VARIAR. RERV M

Rhinoceros, elephas, crocodilus, cercopithecus,
 Tragelaphusq; , hippopotamus, cū dorcade, ceruus,
 Sæuus aper, volucresq; ibices pardi; feroces,
 Syluestresq; onagri, vulpes, leopardus & vrus,
 Talpaq; luce carens, crocuta, sciurus, hyana.
 Castores amphibij, lutræ, damæq; fugaces,
 Murilegi feles, sorices cum muribus atque
 Mustelis, glires, viuerra, cuniculus, hœdus:
 Ignoræque aliæ species atque ora ferarum,
 Quæ passim varius sine nomine procerat orbis.
 Corporis exigua sunt & quæ mole feruntur,
 Fucus iners, apiumq; genus, vespaq; nocentes,
 Infestumq; crabro pecus, atque infestius œstrum,
 Musca, culex, bruchus, cynomia, teredo, locusta,
 Atque hyemis formica memor, segnisq; cicada,
 Blattaque, papilio, tineæ, & cum cimice bombyx,
 Pyraustæ simul & nitidis lampyrides alis,
 Curgulio, campe, cōuoluulus atque cerastes,
 Hinc cruca, pulex, & amica cruoris hirudo,
 Stellio, lumbricus, scarabæus, araneus, aspis.
 Scorpius, aspectuque nocēs basiliscus, echidna,
 Cochlea, & infestus serpens, buprestis & hydrus,
 Tum domi porta subit testudo, lacerta, dracones,
 Tippula, rana, grauis bufo, salamandra, rubeta,
 Cantharis ac limax, scolopendra, phalangia, gryllus.
 Quinetiam liquidis quadam pascuntur in undis,
 Ostrea cum conchis cancer cum murice, perca,
 Cetus, amansq; hominis delphinus, phoca, balena,
 Versicolor polypus, cum passere salpa marino,
 Carpio cum scombris, & cum torpedine rhōbus,

Cum-

NOMENCL. LIB. I.

Cumquē halece scarus, murenaquē, sepia, salmo,
 Gobius, aurataquē, acipenser, mena, silurus,
 Tynnus & anguillæ, canis, & cum mugilē congrus.
 Hinc lupus ac barbo, mulusquē echeneis, hirundo,
 Quiquē ferunt alijs accepta vocabula rebus.
 Inde genus volucrum cœlo quod gaudet aperto,
 Anser, anas, perdix, turdus, gallina, palumbes,
 Nisus & accipiter, motacilla, monedula, miluus,
 Pſittacus hinc sequitur, pictisquē nitentia pennis
 Corpora pavonum, phasianus, turtur, hirundo,
 Vocales merulæ, fringillaquē frigore gaudens,
 Regulus halcyonesquē & sturnus, alauda, coturnix,
 Arragē atque apodes, philomelaquē, passer, acāthis,
 Pica loquax, aquilēquē lenes, & garrula cornix,
 Graculus & picus, cuculus, curruca, columba,
 Gryphes hyperborei, phœnix simul ardea, cygnus,
 Struthius ac falco, & cum porphyrione pygargus,
 Aëriæquæ grues, longoquē ciconia rostro:
 Hinc fulica atque parix, vultur, ficedula, mergus,
 Et cristatus epops, ibisquē infesta colubris,
 Noctuaquē & meropes, bubo funestus, & otus,
 Nicticorax, vlulæ, strix, vespertilio, coruus.
 Quæquē locis alio viuunt sub sole remotis,
 Et peregrina tenent cognomina. Protinus illis
 Quicquid in Alcinoi syluis, & Adonidis hortis
 Crescit, Hamadryadum saltus, viridesquē napæas.
 Et quas immenso tellus producit in orbe,
 Vallibus aut campis, fluuijsquē & montibus altis,
 Per varias species nec temus in ordine plantas.
 Primaquē; citrus adest, mox cedr⁹, & innuba laurus:

VARIAR. RERVM.

Hinc acer & ficus, pinguesque sequuntur oliuæ,
 Pampinæ vites, & amictæ vitibus vlni,
 Persicus atque pyrus, sambucus, amygdalus, ornus,
 Sacra Ioni quercus, frondosaque tegmine fagus,
 Castanæque, simul coryli, patulæque iuglandes,
 Bdellia, lentiscus, fructuque onerata rubenti
 Arbutus, & lentæ victoris præmia palma:
 Populus & præcox cerasus, nodosaque cornus,
 Et platani steriles, curuataque glandibus ilex:
 Hinc abies, pinusque virens, labrusca, cupressus,
 Esculus, ac tedæ pingues, ferulæque minaces,
 Molle filer, piceæ, malus, terebinthus: at inde
 Taxus, & amnicolæ salices, lenteque genistæ:
 Mespilus, & morus, larix, oleaster, arundo:
 Mox hebenus, lotusque, & spinis prunus acutis,
 Et cum iuniperis cyrissi, fatuæque mariscæ:
 Hinc tilia molles, & fraxinus utilis hastis,
 Horrentesque rubi, simul & viburna, chamedrys,
 Cum rusco sorbus, cum spino myrtus & alnus,
 Perpetuoque virens buxus, tenuesque myricæ:
 Milleque pomorum species, quibus optima tellus
 Expromit varios ima radice sapores,
 Cum nucleis resinam, & maturo semina fructu,
 Cumque acinis baccas glandesque, vuasque, nucesque.
 Hinc frutices simul & nitidæ cum floribus herbæ,
 Balsamia cum casia, thus, myrraque nardus, amomum,
 Acacia & moly, mox dira aconita sequuntur,
 Narcissus, viola, & nimium rosa plena pudoris,
 Caucalis, ænanthe, rodaphne & amaracus iris,
 Acorus, hyssopusque, althæa, lauendula, caltha,

Fcc -

NOMENCL. LIB. I.

Fœniculumq; anisumq; chelidoniumq; crocumq;
 Rugosum piper, & pallentis grana cumini,
 Et cum lactucis caryophylla, zingiber: inde
 Ozima chærephylumque, immortalesque amarâthi,
 Et satureia thymi referens thymbrâque saporem,
 salvia, dictamus, blittum, colocasia, sandyx,
 Peucedanumque, apiumque, melâthia, petroselinū,
 Ambrosia, & bacce semper frondentis acanthi,
 Capparis & tristes inulæ, corruda, sinapis,
 Artemidisque chamæpityos atque achrados herbæ,
 Allia cum cepis, coriandra, papauer, anethum,
 Corchorus in lachanis, carex, absinthia, spelta,
 Rutaque serpillumque & suauē rubens hyacinthus,
 Silphion, andrachne, raphanus, nasturtia, caules,
 Brassica cum rapis, cyperus, spinachia, porrum,
 Pisa, fabæ, ciceres, reliquique leguminis ordo,
 Ordeaque & milium, far, chondrus, auena, siligo,
 Infelix lolium, vicię, tristisque lupinus,
 Triticę messes, & humi nascentia fraga,
 Cum fœnugręco staphilinus, aristolochia:
 Hinc eruca salax, scolymus, satyrique gemelli,
 Marubium, panicumque & hyoscyamus, sagapenū
 Lapsana, verbascum, plantago, anchusa, simulq;
 Esula cum betis, solanum, strychnus, oryza,
 Lilia, mentastrumq; euphorbia, centaurea,
 Abrotanum, seseli, mox & cynoglossa sequuntur,
 Asphodelus, smilax, cryngion, enneaphyllon,
 Pulegij, nepetę simul & boraginis herba,
 Bettonica & scandix, muscus cum rore marino,
 Inde meliphyllon, panaces, scammonia, scylla,

VARIAR. RERVM.

Solsequiū, graueolens cunila, ac verbena, pyrethrū,
Hellenium, lupulus, buglossa, filix, adianthum,
Errantes hederæ, lapathus cum baccare, malua,
Menta, leonpodion, lentes, niueumque ligustrum,
Cum ritulis ebulli baccis, melilotus, hibiscus,
Intybus atque atriplex, boletus, tubera, fungi,
Asparagi, pepones, bulbi, gelidusque citrullus,
Et tenero cucumis, longoque cucurbita collo,
Saxifraga, vrganum, mox glycirrisa, melones,
Granaque pæoniæ, vacinia, costus, aizon,
Anthemis, & viscum quod non sua seminat arbos,
Ptisana, symphytonque, cichorea, myriophyllon,
Clematis atq; aloë, ladanum, hypericōq; foratum,
Hinc sifer, helleborusque duplex, & noxia succo
Galbana, lonchitis, mox camphora, tithimalusque.
Mandragoræque simul flores & mæsta cicuta,
Spinaque cum rusco, paliurus, lappa triphyllon,
Carduus ac tribulus, rhamnusque, vrtica, phaselus,
Cum pentaphyllo saliuca, dracunculus: inde
Cannabis & spartum, linumque, anagyrus & eruum:
Iuncus cum scirpo, simul vlua, papyrus & alga,
Stirps, radix, folium, flores cum cortice, rami,
Spicaque cum siliquis, stipulaque & culmus, arista.
sed quis cunctarum vires & nomina verbis
Explicet? aut possit totidem discernere formas?
Cum plures herbæ quàm nomina: proinde relictis
Naturæ rebus, magis explorata sequemur.

Atq; magistratus dicemus & officiorum
Nomina, & artificum diuersas ordine sectas.
Archiduces, Comites, celsum cum principe regem,
Indu-

NOMENCL. LIB. I.

Induperatorem, chiliarchon, & inde tribunum.
 Hinc subit inuicti miles cum cæsaris armis,
 Satrapa, præfectus, gemino cum consule quæstor.
 Mox proconsul, eques, vexilliferumque secuti
 Cum ducibus præco, legatus, scriba, satelles,
 Ædilis, prætor, iudex, equitumque magister,
 Interrex, censorque grauis, sanctusque senatus,
 Patricioque simul cum dictatore decani.
 Carnifici iunctus centurio, lictor & augur.
 Pontificumque grauis fido cum præside cætus.
 Ianitor atque vigil, cumque ædituente sacerdos.

sunt etiam variae famosi nominis artes,
 Quas quis vel casu, vel quas ratione secutus:
 Hinc professorum venit longissimus ordo,
 Grammaticus, rhetor, dialecticus, inde sophista,
 Astrologus, geometra simul, iurisque peritus,
 Philosophus, medicus, post muscus atque poëta,
 Cumque mathematico socius chirurgus, & acri
 Physicus ingenio, vates, phonaſcus, aliptes,
 Tibicen, historicus, phrygio, tractator arithmi,
 Bibliopola simul sculptor, cocus, archimagirus,
 Chalcographus, solers pictor, prælagus aruspex.
 Inde propola, venit pariter cum litis amante
 Causidico, post hunc fidicen, vespillo, magusque,
 Pannifices, fullo, tubicen, figulusque sequuntur,
 Institor, aurifices, mercator, pharmacopola,
 Mox lapicida, faber, cytharædus, pellio, textor,
 Cumque trapezytis, fusor, gemmarius: inde
 Vinitor herbarum legulus, factorque papyri,
 Athletæ, pugiles, & cum cursore probatus

schæno-

VARIAR. RERVM.

Schœnobates, tonsor, chartarius & gladiator,
Quique simul statuas, vnguentaq; , cribraque, sellas,
Carbonesque solent & vitra parare, quibusque
Bractea, marsupium, pariter cimenta, sagittæ,
Plaustraque carpentumque dedisse vocabula cōstat.
Funificesque simul sutor, coriarius & mox
Oeconomus, lanus, pincernaque & architriclinus.
Pistor, & hinc molitor, mensarius, & pubicanus:
Tum gladiatorum opifex, & notior hospite caupo,
Nauta simulque agilis remex, auriga, victor,
Agricola atque olitor, piscator, villicus, auceps.
Hinc durus messor, tornarius, histrio, saltor,
Mulio & ægonomus, venator, fossor, agaso,
Pastor & vpilio, mox bubsequa, mægo, subulcus.

Inde gradus veniunt, & iuncti sanguine cœtus,
Agnati pariter cognatorumque propago,
Affinis, coniunx, vxor, procus atque maritus,
Cum socero, sponsusque, gener, socrusq; , nurusque,
Sobrini, patruusque grauis, geminique parentes
Cum genitrice pater, matertera, consobrini,
Germanique simul fratres gratæque sorores:
Hinc patruelis adest, natiq; : simulque nepotes,
Mox & auus proauusque & auunculus atq; gemelli,
Fratia cum leuiro, iunctusque sororius: inde
Vitricus, atque audax sequitur cum glorie nouerca,
Priuignus pariterque amita atque amitinus: at vltra
Patronusque reusque cliens, testator & hæres,
Et cum legitimo paruius tutore pupillus.

Nunc simul ingenijs clarorum inuenta virorum
Instrumenta, operum varius quæ postulat vsus:

Et

NOMENCL. LIB. I.

Et structurarum partes, luxusque regentis
 Corpus, & escarum percurreret nomina carmen.
 Quâquam hæc de multis sint pauca vocabula rebus;
 Mensa, tripes, stibulum, catinus, scutella canistrum,
 Urceus ac scypus, mox amphora, cantarus, urna,
 Olla, lebes, cæcabus, discus, sartago, patella,
 Arca, lagena, cadusque, & cocta fidelia limo,
 Libra, calix, modius, crater, lanx, quadra, salinum,
 Focula cum calathis, guturnia peluis, amussis,
 Et cum pistillo, mortaria, follis, ahenum,
 Fuscina, marsupium, & firmis charchesio ansis:
 Inde veru, coclear, chytropus, mantile, paropsis,
 Cupaque cum oculis, cyathi, patera que capaces:
 Mox infundibulum, culter, craticula, funda,
 Mappa simulque; abacus, lychnus, cum forfice, cribrum,
 Atque Cytoriacæ plenæ cum pyxide cistæ.
 Tessera cum talis, agilis pila, deinde fritillus,
 Tibia, testudo, cytharæ, tuba, fistula, plectrum,
 Dux laterna viæ speculum, candelabra, fistrum,
 stragula, lodices, lectus, substrataque mollis
 Culcirra, pulvinar, cunabula, sponda, scabellum,
 Scrinia, ceruical, iunctisque aulæa tapetis,
 Circinus, ampullæ: mox dentiscalpia, corbes,
 Andia, rastelli, multrale, catena, batillum,
 Fusus, verticulumque; colus, glomus, annulus, orbis,
 Filæque, pecten, acus, simul addita licia telæ,
 Hinc dolabra, limæ, cum forcipe, malleus, incus,
 Ascia cum terebro, cuneus cum cote securis:
 Tum runcina, scopæ, fabrilia, scalptra dolones,
 Torcular, & prælum, ac dentata lamina ferræ,

Sar-

VARIAR. RERV

Sarcula, ventilabrum, & triplici cum falce bidētes,
 Carpentum, temo, currus, rota, vomis, aratrum,
 Arbutæ crates, & mystica vannus lacchi,
 Stinaque cum radijs, buris, ligo, canthus & axis:
 Hinc saccus, dolium, contextaque fiscina virga.
 Gausape, mox restis, pluteus, lectica, cylindrus,
 Tribulaque, traheaque & iniquo pondere rastro,
 Sella quoq; & phaleræ, strigiles, furcæque bicornes,
 Calcar cum stimulis, & ephippia, frenæ, capistrum,
 Retia, muscipulæque, amites, pedicæ, atq; matellæ,
 Verriculumque, auidisque voratus piscibus hamus,
 Hastaque cum clypeo, gladius, vagina, bipennis,
 Claua simulque arcus, & plena pharetra sagittis,
 pugio, bombardæ, catapulta, balista, flagellum,
 Mantica, malluuiū, trochus atq; nouacula, parma.
 His quoque diuersæ succedunt ordine partes,
 Œdibus in cunctis quæ plusve minusve struuntur:
 Porticus, aula, domus, pavementum, limina, postes,
 Ostia, vestibulum, & bisoires cum cardine, valuæ.
 Atria, triclinium, puteus, cœnacula, scamnum,
 Cum locuplete penu, stabulum, viuaria, cellæ,
 Hinc hypocausta, bases, camera, celsæque columnæ,
 Iunctaque cum caueis apotheca, cubilia, fornix,
 Carcer & effoso deducta cloaca canali:
 Inde peristylum, testudo, gynæcion, antes,
 Cum fundamento paries, laquearia, portæ,
 Ianua, & interior postica, fenestra, lacunar,
 Pessulus atque seræ, clauēsq; repagula, vestes,
 Pergula, scala, gradus, podium, præsepe, caminus,
 Moxque culina, focus, fornax, fumaría, furnus,

Hortus

NOMENCL. LIB. I.

Hortus & impluuium, granaria, balnea, turre,
Area, protectum simul & subgrundia, culmen,
scādula cū trabibus, tegulaeque & tignus, & imbres,
Horrea, cancelli, & summi fastigia recti.

sunt etiam naui partes, & multa supellex,
Malus, & antennæ transuersis cornibus, unde
Carbasā dependent, remi, crassique rudentes,
Transstrorum series, pariterque harpago carina,
Ancora cum rostro proræ, fixusque repandis
Puppibus, & certo rectus moderamine clauus.

Indumenta simul vario confecta labore.
Pellibus & pannis, de bombyce, vellere, lino:
Purpura, pelliciumque, chlamys, toga, penula, sindon,
Pallia, diplois, strophium, multicia, peplum,
Hinc tunicis manicæ sunt, & redimicula mitris:
Byssus ad hæc, & cum lato sudaria clauo,
Insulaque, & regale decus diadema sequuntur,
Bullaque & interulæ, stola, flammea, vitta, lacerua,
Cingulus & caligæ, braccæ, prætexta, tiaræ,
Baltheus ac thorax, galeæ: mox fibula, cestus,
Fascia, ciciliumque, & prodigiosa cuculla,
Fimbria, reticulum, chirotheca, monilia, pallæ,
Sandalium, torques, tremuleque in vertice cristæ,
Supparus atque sagum, loricaque, limbus, abolla,
Centones, trabes, cum cyclade, lana, calyptra,
Palludamentum, femoralia, bardocucullus,
Calceus, atque ocreæ, conus, pileusque, galerus,
Cum soleis, crepidæ, socci, celsique coturni.

sunt etiam omnigenum delectamenta ciborum,
siue ea dura fames reperit, siue ipsa voluptas:

Panis

VARIAR. RERVM

panis & intritum, simul & bellaria, pulces,
Affaqué cum frixa atq; elixa carne, medulla,
Condimenta salis, mox & prædulcia mella,
Saccaron, offa, garum, tucceta, tomacla, polenta,
Cum pulpamento, scriblita, borellus, & ouum,
Artocreaq; , fauusq; recens, obsonia, manna,
Pappaq; , sarcimen, petafo, placenta, butyrum,
Durati sale terga suis, cum sumine, perna,
Caseus, issicium, succidia, deinde, minuta,
Castanea q; , nucesq; , & suaue rubentia mala.
Hisq; epulis grati miscentur sæpe liquores,
Hydromel, & mulsum, cereuisia, nectar, acetum,
Potus aquæ, zythum, cum succo pinguis oliui,
Cumq; mero, vinum dilutum, ac defruta, mustum,
Hinc muria latices, & opinii copia lactis,
Vile serum, vappæque stupor, siceræque sâpores.

Verùm hæc humanæ Diuis concessa saluti,
Morborum ingenti contra pensantur aceruo:
Quos tandem pariunt viciati in corpore primùm
Quattuor humores, cholera & cū sanguine phlegma
Atque melancholia: & rerum peruersus abusus:
Nanque aër, cibus & potus, motusque quiesque,
Somnus & excubiæ replendique insuper ordo,
Affectusque animi, multum dominantur vtrunque
In partem, & prauo generant moderamine morbos:
Qui partim chronici, partim dicuntur acuti,
Hinc tussis, spasmus, tetanus, dyspnœa, catarrus,
Vuula, singultusque, & cum rauedine rheuma,
strumaque cum gibbo, fycosis, verruca, cicatrix,
Vomica, lichenes, varix, glaucoma, parotis,

Et

NOMENCL. LIB. I.

Et cum furfuribus, cumque intertrigine scyrus,
 Lentigo ac scabies, & cum porrigine, psora,
 Phthiriasisque scatens, furunculus, inque petigo,
 Et quæ vicini corpus contagia lædunt,
 Mydriasisque simul madrosis, opisthotonosque,
 Polypus, & graecolens ozæna, grauisque coryza,
 Hinc & alopeciam sequitur cephalæa, veterius,
 Leucoma, agilops, ophthalmia, branchus & aphtha,
 Trichiasis, vitiligo, simulque scotoma, synanche,
 Et tactu mentagra nocens, epynctis & alphos,
 Phthysis, erysipelas, anorexia, syncope & astma:
 Moque paronychiæ morbo subit algos odonton,
 Hemicrana grauis, manuum nodosa chiragra,
 Lepa, elephaniasis, cancer, gangrana, parulis,
 Hernia, prurigo, rhagades, tumidaque mariscæ:
 Inde gonorrhææ labes, straguria, & horror,
 Ischias, arthritis, phagedæna, podagra, marasmus:
 Tum dysentericæ fluxus, & tormina ventris,
 Cumque diarræa, lienteria, atque tenasmus,
 Icterus, ascites, simul hæmorrhoids, & hydrops,
 Bulimus, & languens dyspepsia, calculus, ichor,
 Colica, lithiasis, dysuria, mox diabetes,
 Cumque priapismo, bubon obscænus: at inde
 Cæliacus morbus, pleuritis, & enterocèle,
 Cardiacusque dolor, tonsilla, nephritis & anthrax,
 Incubus, hydrophobus, raptæque epilepsia mentis,
 Quem morbum herculû, dicunt, sacrûq; caducumq;
 Infaustumque inter suffragia committalem:
 Nec paralytis abest, pariterque epidemica pestis,
 Ecstasis, & mania furor, atque insana phrenitis,
Ileos


VARIAR. RERVM.

Ileos, abcessusque graues, apoplexia morbus
Sonticus: hinc herpes, & condyloma sequuntur,
Exanthema, simulque oscedo, cachexia, phlegmon,
Pulmonus splenisque labor, cephalalgia: febres,
Hectica cum putrida, tritæ, & ephemera, causon,
Quartana, atq; aliæ, quarum discrimina nouit,
Quis solus mundi cunctas speculatur abyssos.
At nos chiliadas rerum numerare parati,
Vocibus in medio priuamur: nec tamen ista
Nomina cum proprijs pigeat perdiscere rebus.
Cætera quæ restant, nec sunt numerata sub istis
Versibus, explebunt doctorum scripta virorum.
Nos quoque difficili functi mea Musa labore,
Cum perculsa graui premerentur pectora fluctu,
Arma inter media, & rabiosam dæmonis iram,
Carmina nunc alios potius cantare sinamus.


FINIS.

CIRCVLVS

Sphæræ, cum
V. Zonis.



ORDO PLANE- tarum, cum aspectibus.



REGIONES ET nomina ventorum.

SEPTENTRIO.

Βρασκίας Απαρκτίας Βορίας
Circius Septentrionarius Aquilo
Noordt.

OCCIDENS.

Αργείσθ
Caurus

Ζιφύρος
Favonius
West

Αἶψ
Africus

Αἰβόντο

Anster. Zuydt.

MERIDIES.



Καικίας
helleſpōtē

Απυλιότης
Subſolan⁹
Ooſt

Εὐρ
Vultur⁹

Εὐρόνοτο

ORIENS.

A B











B

















C


























Impress. Antuerp. An. M. D. LX.

